

iacerti, malum improvisum, anceps periculum clamore testari. Quorum vocibus exciti licet admodum pauci, si qui tamen sub obscura nocte confluerant, aurum et argentum, quæ prima meritales putant, variamque sacri ministerii suppellectilem summa ope tueri satagebant; de sanctorum vero piguoribus eruendis immemores, nulli rerum minorem operam impendebant. Unde et contigit, ut ignis edax, dum nulli locorum parceret, non solum arenam lignorum materiam penitus absumeret, sed tabulas quoque marmoreas, operis dignitate mirandas, circumquaque corrumpere. In tanta rerum difficultate quis tuas, sancte, reliquias non æstimaret iri perditum? Ruebat undique moles ædificiorum, dissiliebat vi caloris soliditas marmorum, totaque sacrarum ædium facies una favillarum erat congeries. Et quis omnium apothecam ligneam, contra vim ignis tenerrimam, quæ media templi testudine in edito posita omnem ruentis fabricæ excipiebat impetum, crederet periculum evasisse? Sed quod actu difficillimum ægris videbatur mortalibus, summo Procuratori facillimum rerum probavit exitus.....

4. Sed quia majorum ingressi vestigiis, qualiter beatus confessor suarum reliquiarum defensionem semper affuerit, monstravimus, libet cetera ejus carptim attingere, utque suorum supplicum post id id eorum numquam saluti defuerit paucis absolvere. Mausoleum illud lapideum, quod a quibusdam temerariis effractum, latenter expoliatum, sicut ex præmissis claruit, veterum memoria testabatur, postquam majoris cautelæ gratia, omnibus id consulentibus, pretioso thesauro vacuatum est, pari nihilominus atque dudum reverentia in eadem ecclesia compositum, sancte admodum reservabatur. Hujus superficiem docta manus artificis tabulis undique marmoreis a fronte præcinxerat, eisque solide ad invicem compactis, decorem operi, usum decori addiderat. His vero ex vicinitate sancti corporis tantum virtutis tantumque gratiæ salutaris divinitus accesserat, ut credi vix possit, quantis mortalium incommodis, patrocinate sancti beneficio, salus exinde procurata sit. Quicumque enim longis febribus usque ad ossa depastus, quisquis morbo diuturno confectus, huc cum fidei integritate suarum

A ærumnarum querimoniam detulerat, rasura ejusdem marmoris aquæ mixta et in potum sumpta, celerimum languoris remedium certissima curatione obtinebat. Hujus opis capessendæ gratia cum hodieque innumeros ex diversis mundi partibus videamus concurrere nullumque frustra pii intercessoris suffragium desiderasse, unum tamen fide et religione præstantissimum silentio præterire non est consilium. Moguntia, civitas totius Germaniæ celeberrima, Rheni immixta littoribus, commerciis patens egestatis insolens, agrorum et vinearum fertilis, nulliusque necessariæ rei indigens, viris et ædificiis satis exornata, sed multo beatius, quod pretiosissimum religionis genus est, reverendo monachorum ordini illustrata. Horum in uno monasterio, quod longe ceteris nobilior Sancti Albani dicitur, nostra memoria quidam præpositus, Severendus nomine, cælesti philosophia exercebatur, vir optimis artibus a tenero ungue imbutus Deoque et hominibus ob multa ingenii bona carus et acceptus. Sed hos tam lætos successus præpediebat ægritudo continua, lentisque febrium vaporibus non lente viri eminentis premebatur industria. Qua peste acerrima jam per triennium exhaustis viribus, nihil postremo credidit salubrius, quam, inutili medicorum opera cessante, cælestis manus suffragium quaeritasse. Nam edoctus claritudinem Treverensis ecclesiæ, eo profectus intendit; parsque factus supplicantis populi, humilis preceptor, sed celeberrimus beneficiorum impetrator, tumulum sancti accessit, potum abrasum marmoris sincere participavit; nec fidei desiderio frustratus, brevi ex infirmo sanissimus, pallorem redivivo colore mutavit. Is non immemor beneficii, cum sanctis omnibus pure deserviret, tum suo curatori familiarius inhærebat, eoque devotionis circa illum profecerat, ut locum nostrum (578), quo ejus reliquias nuper translatas didicerat, speciali affectu multus et frequens expeteret, et ante fraternitati nostræ acceptus, tum vero ex assiduitate commanendi acceptissimus fieret. Hujus relatu virtutem, quam expertus fuerat, fratribus sui studiosis compertam, haud injuria nostræ narrationi credidimus inserendam nihil verentes debili falsitatis calumnia pulsari, quæ tam veracis viri patrocinio facile poterit enervari.....

EX INVENTIONE ET MIRACULIS S. MATHIÆ.

Lambertum a Legia (579) libros de Vita et miraculis S. Mathiæ apostoli scripsisse jam Trithemius retulit (580); id quod etiam Browerus (581), Hillarius (582) aliique testati sunt. Ideo Henschenius cum duas

NOTÆ.

(578) S. Jacobi monasterium vix intelligere potest. Num hæc Helmwardicensis monachus addidit?

(579) Quem cave ne eundem putes qui Vitam S. Heriberti scripsit s. XI, v. Hist. litter. VIII, p. 6, Mon. SS. IV, p. 739; Hist. S. Laur. Leod. ap. Martene IV, p. 1067.

(580) Ann. Hirsang. p. 174. De illust. viris Germ. Op. I, p. 133, ubi ita loquitur. *Lampertus de Legia, monachus cænobii sanctorum Eucharrii et Matthiæ apostoli..., vir undecunque doctissimus, philosophus, rhetor, musicus et poeta clarissimus, ingenio subtilis et comptus eloquio. Scripsit tam metro quam prosa quædam præclara opuscula, de quibus ego tantum*

repperi subjecta: De miraculis sancti Matthiæ apostoli magnum opus metricè compositum lib. 5 (Ann. Hirsang. l. l. : de miraculis sanctorum lib. 5); de sancto quoque Agricio lib. 1 (cf. supra p. 114); ad Lampertum (lege: Ludovicum; v. Hillar. p. 85) abbatem suum vitam sancti Matthiæ apostoli edidit lib. 1; sermones etiam varios in honorem sanctorum lib. 1; epistolas quoque multas ad diversos; carmina diversi generis elegantissima et multa et varia composuit, et alia complura nobis incognita.

(581) II, p. 22.

(582) P. 85.

de S. Mathia Treveri sepulto et invento narrationes ederet (Act. SS. Februar. III, p. 441 et p. 448), quin altera Lamberto tribuenda esset non dubitavit (583); et eam quidem illius nomine inscripsit quam ex codice Sanmahlano recepit quamque paulo post sancti inventionem confectam esse primo patet aspectu. Hillarius vero alteram Lamberti esse, eo docuit, quod præfatio huic præmissa in codice Treverensi Lamberti continet nomen. Qua in re ipsum falsum esse (584), equidem non putarim, neque video quid nos impedire possit quo minus hanc amplectamur sententiam. In Lamberti ætate indicanda Trithemius consueto more errat (585), neque aliunde certi quidquam de tempore quo vixerit compertum habemus (586), præfatione illa excepta, quæ ad abbatem L., id est Ludovicum, qui post medium sæc. XII (587) monasterium S. Mathiæ regebat, misa est (588). Cognomen Lambertus inde accepit, quod Legiæ sive Leodii natus fuit (589); vixit vero in S. Mathiæ monasterio, ibique sancti laudes tum carmine tum pedestri sermone celebravit. Illud ineditum neque a me in codice Treverensi lectum est, hic liber primo Vitam sancti Mathiæ exponit, ex Hebræo codice, ut dicitur, translata (590), postea inventionem et miracula narrat s. XII facta, sed ex antiquiore illa relatione maximam partem descripta, hinc inde singulis quibusdam iisque fabulosis notitiis aucta (591).

Hæc omnia tanquam nullius pretii omisi, sed priorem illum auctorem sequi malui, qui diligenter ea exposuit quæ a maioribus acceperat vel præsens viderat (592). Miracula quæ additum iri in fine dicitur nunc desiderantur; neque libros de S. Mathiæ miraculis a Lamberto metricè scriptos (593), qui in bibliotheca Treverensi etiamnum exstare videntur (594), ad manus habui; alia vero cum Lamberti vita edita sunt (595), alia ex codicibus Erlangensi s. XII, qui Vitam S. Ottonis Bambergensis aliaque continet (596), et Treverensi (N. 547) s. XIII exscripti, quæ quamvis partim recentioris temporis sint huic monumentorum Treverensium collectioni inserenda duxi.

NOTÆ.

(583) Cum Henschenio facit Hist. litter. XII, A p. 531 sqq.

(584) Quod Sybel. contendit, die Advokaten II, p. 45 n.

(585) Lambertum a. 1038—1047 vixisse uno loco dicit (Ann. Hirs. l. I.) altero: *Claruit, inquit, sub Henrico quarto a. D. 1080.*

(586) Unum est quod Brower. l. I. dicit Lambertum se ope d. Mathiæ hoc ævo a febribus scribere liberatum (v. n. 67). Sed ne hæc quidem cum nostra pugnant sententia.

(587) Inde ab a. c. 1169—1182, ap. Hontheimium in chartis occurrit.

(588) Hæc ex Lazii editione ab Henschenio descripta nominibus caret, quæ Hillarius ex codice Trev. adjecit: *Reverentissimo domino suo ecclesiæ sancti Eucharîi Treveris abbati vere dignissimo L. humilis levita Lampertus, omnium fratrum illi commissorum ultimus, debitæ subjectionis devotum obsequium. Cum verbo simul et opera præpolleas, pater beatissime, plurimos a levitate seculari retractos theoricæ claustris (societati?) ex quibus in specialius illud tue sollicitudinis studium impendisti. Attestantur iis tua instantia cotidiana ammonitio, correptio; quam licet ex juvenili levitate non satis libenter excipiam, ex qua tamen pietate prodeat, cum mentem a vanitate recolligo, non ignoro. Illud quoque præterire non debeo, quod me lectioni instare jugiter præcipis et hortaris, ne scilicet otiosum inimicus inveniat, ne murmurando mentem occupet, ne detractio in lingua deserviat, ne manus operi quod ad rem non attinet insistat. Præcipit igitur beatitudo tua, ut vitam beati Mathiæ apostoli, ad cujus ossa digne præsidet, ab Hebraico volumine, qui Damnatorum liber intitulatur, quod in eo contra legem agentium judicia contineantur, exceptam latius exponerem secundum indagatam avido vel potius extortam omnem rei veritatem. Quod ego, licet audaciæ merito denoter, feci tamen ut potui. Proinde licebit alii latius tum eloquentius explanare stylumque rusticum lima urbana decentius expolire. Dominus te incolumem nobis custodiat, pater carissime. Amen.*

(589) Hi versus ap. Hillar. l. I. et Wyttenbach, t. I, præf. p. XX ex cod. nunc bibl. publicæ Treverensis N. 80 exhibentur:

*Legia me genuit, sovet altera Treberis, in qua
Parvus ego, parvo modulatus, parva repono.*

(590) V. epist. n. 62 relatam et prologum hunc libro præmissum: *Cum multo studio et sollicitudine flagrarem, quomodo gesta beati Mathiæ apostoli, quæ apud nullum ecclesiasticorum interpretum habentur, invenirem: quidam presbyter nomine Theodericus fluctuantem me ac tristem videns, causas a me tri-*

stitiæ requisivit et accepit. Unde summa exultatione persusus, quia hoc in me studium invenerat, dixit, quod si eorundem gestorum interpret esse vellem, cum quodam Judæo familiari suo se acturum, ut mihi librum quem ipse Damnatorum intitulat pro eo quod in ipso contra legem agentium damnatio contineatur, Mathiæ scilicet, Jacobi utriusque et Stephani, idem Judæus præsentaret. Didiceram eo tempore a quodam ex Judæis litteras Hebraicas. Venit ergo libellum, deferens; cujus cum ego titulum legerem, Sir Hasi-rim, hoc est Cantica canticorum, scriptum inveni; tantaque indignatione commotus sum, ut vix ab illo manus continerem. Nam ille sibi in christianos odio ingenito decipere me gestiebat. « Et tu, inquam, leno spurcissime, clericumne fallere temptas, qui Hebraicarum, Græcarum et Latinarum historiarum plenissimam acceperit scientiam? Nihil est certe in vestra bibliotheca, sive Græca sive Latina, quod nesciam. » Timore ergo correptus, maxime ne ei apud principem, in cujus gratia tunc fui, nocerem, jurejurando se mihi satisfacturum promisit: quod et fecit. Lecto namque titulo libri quem postmodum detulit, Ay Mathay, hoc est Vita Mathiæ, scriptum deprehendi. Denique opinatus omnia me intelligere quæ infra scripta erant, licet invitus, omnem tamen ex ordine veritatem mihi aperuit, accepto a nobis pretio viginti trium solidorum. Post hunc anno sequente dominus meus archiepiscopus ab alio Judæo, in periculo rerum suarum constituto, ita se omnia habere deprehendit, excepto quod ad nomen suum alluisse dixit versiculo psalmi. Postea cuidam inclusæ pro hoc ipso triduanum jejunium agenti idem revelatum est. Legatur itaque absque omni dubitationis scrupulo, quod tam certis argumentis verum esse deprehensum est, quia omne antiquum Spiritus sanctus abolevit. Quomodo autem de Judæa in Treverim venerit, sicut in historia Trevirica et in monumentis Silrestri papæ legi, miracula quoque ejus subsequenter edisseram.

C (591) Pauca in notis retuli.

(592) C. 6. — Primo cap. Gesta sequitur.

(593) De quibus cf. Trithemium l. I. Huc etiam pertinere videntur quæ Brower. l. I. monuit: *Ipseque adeo Lambertus cœnobita non illiteratus qui opera ibi divinitus patrata scripto etiam libro est persecutus, ope se divi Mathiæ a molestis acutisque febribus hoc ævo scribit liberatum.*

(594) V. Wyttenbach l. I.

(595) Nescio an eidem brevis de S. Mathiæ ecclesia ab Eugenio papa a. 1140 dedicata relatio (Act. SS. l. I. p. 455) tribuenda sit (Hontheim, Hist. I, p. 552, n. h.)

(596) De quo alibi accuratius agam.

EX INVENTIONIS HISTORIA.

Dignum et justum quidem necnon credimus displicere, si in gloriam et honorem beati Mathiæ apostoli Domini præter illam reverentiam, quæ ei in toto orbe terrarum sub die 6 Kalendarum Martiarum a Christi fidelibus exhibetur, civitas Trevirorum, quæ felicia ejus ossa continet, alium quoque diem solennizet (597). Re etenim vera pium est atque conveniens, ut quibus gratia datum est domini Dei nostri præ ceteris gentibus familiarius ejus quasi perfrui allocutione atque cotidiana confoveri benedictione, illum propensiori quam quibus hæc gratia non contigit reveantur honore. Hoc autem maxime congruum judicavimus die salutiferæ revelationis ejus. De cujus lætabunda translatione simul et inventione necnon et revelatione sed et qualium quantumque miraculorum glorificatione lætificati sumus, Domino adjuvante, prout possumus dicemus ex ordine. Sed ipsum beatum Mathiam in omnium primordiis necesse est per dominum Jesum deprecemur, quatenus ejus intercessione non alia quam quæ sibi digna ac Deo sunt placita, nostra ducti insipientia, proferamus.

1. Igitur (598) anno incarnati verbi Dei 368, Constantino Magno, patre augustorum, christianissimo imperatore, Romani nominis sceptrum feliciter regente, beata Helena, mater ejus, imperatrix augusta, et ipsa nihilominus christiana in professione firmata, dominica cruce inventa, hujus patriæ suæ — erat enim indigena civitatis Trevericæ — piæ memoriæ beatum Mathiam apostolum a Judæa translatum cum aliis magnificis reliquiis, de quibus modo non est sermo, per patriarcham Antiochenum Agricium cum benedictione beati Silvestri tunc Romani pontificis huc destinavit. Quod nimirum exempla ipsius beati Silvestri eidem Agricio data legendo cognovimus. Quem videlicet beatum Mathiam non longe post fideles populi qui tunc erant Treviri, in gaudium et lætitiā venturis retro filiis, cauta consideratione propter ingruentes quas Ariani et pagani concitabant ecclesiarum persecutiones, juxta corpora sanctorum Eucharrii Valerii et Materni terræ altius infossum venerabiliter collocaverunt; cujus nos nunc revelati gaudii participatione Dei nostri gratia perfruimur.

2. Perinde multum temporis fluxerat, annorum (an. 1047-1066) propemodum sexcentorum, et Eberhardus archiepiscopus vir industrius Trevirorum ecclesiam gubernabat (599). Hic efflagitatus est a rege, qui regnavit in illo tempore, Henrico scilicet, Con-

radi secundi imperatoris filio, quatenus ad illustrandum templum suum, quod Goslariæ faciebat, impertiretur ei de reliquiis sancti Mathiæ apostoli necnon et de corporibus aliorum sanctorum, quorum fama esset ecclesiam suam Trevirensis plus omnibus Cisalpinis abundare. Episcopus autem reliquias petenti denegabat, quoniam an illic essent dubitabat, immo, etsi sibi essent, ignorabat ubi essent. Inter hæc quadam vice, cum, ut sæpe faciebat, venisset Romanam, sive orationis gratia, sive alia qualibet exigente causa, forte reperit librum illic, continentem quibus in locis singuli apostolorum prædicaverint, ubi et quomodo passi sint et quieverint; cognovitque legendo, sanctum Mathiam in Judæa prædicasse et quievisse, ac postmodum ab Helena Constantini matre a Judæa translatum, et per patriarcham Antiochenum Agricium Trevirim fuisse transmissum, ibique juxta corpora discipulorum Christi filii Dei in sinistro latere inter aquilonem et austrum fuisse depositum. Quod videns gaudio gavisus est, et assistentibus sibi quibusdam Trevericæ huic ecclesiæ non satis fidelibus causa congratulationis ostendit. Qui post regi propter quod prælibavimus non quiescenti, sed magis magisque de die in diem ut desiderium ejus compleretur instanti, ad gratiam regis adulantes, magnifici et pretiosi atque sacrosancti illius ecclesiæ thesauri delatores effecti, aperunt, quid legendo cognoverint. Itaque cum rex audierat, quod juxta corpora, ut diximus, discipulorum Christi — nec dubitandum, quin beati Eucharrii ac sociorum ejus — ossa illius fuerint antiquitus deposita, petiit cum interminatione gratiæ ac dilectionis suæ, simul cum illius reliquiis quantumlibet modicis dari sibi corpus sancti Valerii episcopi, pollicens, quod et fecit (600) ad honorem Dei et quasi conciliationem patrifamilias monasterii illius, beato supranominato Eucharrio, quatenus frater et commilitonem suum a se separari permetteret, daturum se de redditibus suis magnifica beneficia. Igitur persuasum suffraganeorum episcoporum, Adalberonis vocabulo Sancti, Metensis, et Theoderici cognomento Magni, Virdunensis, aliorumque quos illo tempore Treviri contigit esse, effodi de profundissima terræ altitudine, licet invitum, tamen permisit archiepiscopus. Denique cum prædicti pontifices alique e clero sepulchrum aperuissent, tanta ex eo repente odoris suavitas emanavit, quod omnes admiratione et metu percussi et ut credimus divinitus inspirati, tanto thesauro regionem hanc nequa-

NOTÆ.

(597) Kalendis Septembris; quem diem, inquit Browerus, *sancti apostoli inventioni cœnobitæ posterius in divinis officiis habent feriatum.* HENSCHEN.

(598) Hoc caput ex Gestis c. 19, 18 sumptum est.

(599) Minus recte hæc in altera relatione (Lamberti) narrantur: *Anno ab inc. Domini 1127 regnante Henrico Romanorum imperatore secundo hujus nomi-*

nis, Eberhardus archiepiscopus sedem Trevericam gubernavit. Huic Henricus imperator totique ecclesiæ Treverensi sacrum suam direxit legationem, etc.

(600) Diplomate a. 1155 dato, ap. Hontheim I, p. 395; cf. Gesta c. 32. — Sed a. 1151 Heinricus Treveri fuit.

quam fraudare, sed cooperendo sepulchrum citissime claudere deliberaverunt. Ibi Theodericus Vir-
dunensis episcopus extremitatem cappæ, qua eo die
solemniter erat indutus, amisit; quia dum ipse
sanctis reliquiis curiosius intendit, ut, si posset,
aliquid ex eis subriperet, clauso cum celeritate se-
pulchro, partem cappæ intus claudi contigit, quam,
eo invito et renitente, statim ferro incidi oportuit.
Venerabilis vero presbyter, qui ossa apostoli tra-
ctare meruit, tali testimonio omni reliquo vitæ suæ
tempore claruit, ut, quotiescumque cum aliquo ea-
rundem reliquiarum mentionem habuisset, statim
mirum in modum digiti manus ejus dexteræ, san-
ctorum ossium tactu sacratæ, quasi oleo imbuti
stillare cœpissent (601). Porro prædictorum corpo-
rum totiusque ecclesiæ petitione atque consultu,
beati Mathiæ apostoli ossa sacratissima non dein-
ceps sunt terræ infossa, sed desuper terram, ve-
rumtamen, ne forte furto surriperentur, in parietibus
vel in altariis sunt recondita, vel infra ejusdem
basilicæ septa, ubi a fidelibus illis deferrentur piæ
devotionis obsequia, nec tamen auferri facile pos-
sent cujusquam personæ violentia, sicque fieret, ut
civitas, hoc munita patrono, perpetuo ejus non de-
fraudaretur beneficio. Ubi vero sacra illa pignora
tunc fuerint deposita, senibus populis de medio
factis, succedentibus filiis incognitum fuit (602-3).

5. Verum decursis abhinc fere octoginta annis;
placuit domino Eberhardo, ejusdem, sanctorum vi-
delicet confessorum Eucharîi ac sociorum, cœnobii
patri, quatenus veteres monasterii muros destrueret
et novos ædificaret (604). Quacumque occasione
opus istud inceptum sit, factum non est absque di-
vina dispensatione, maxime cum nulla veterum ædi-
ficiorum urgente ruina tale sit opus exorsum, quod
tam sumptuosum tamque inæstimabile postularit
impendium (605)..... secus altare quod fuit ibi se-
orsum contra pedes confessorum, in honore sanctæ
Dei genitricis Mariæ consecratum..... Interea cre-
scebat illa nova structura ædificii, et deducebatur
magna admodum cum festinatione, priori taberna-
culo adhuc habente statum. Contigit itaque æstate
peracta, autumno inchoante, ut altari majorum ar-
cum, qui sunt in conspectu sanctuarii, machinas
præstruentes, altare sanctæ Dei genitricis, quod su-

A pra diximus, opportunum judicarent esse amoven-
dum..... Ibi invenerunt (606) locellum in modum ar-
cæ plumbeæ majora corporis ossa Mathiæ apostoli
continentem, sed et marmor latum ad modum pal-
mi, in quo caraxatum fuit: *S. Mathias apostolus*,
simul cum reliquiis intrinsecus positam. Quid plu-
ra? Nimirum ædes illa una omnium exultatione et
laudantium Dominum voce personuit. Arca autem
sacras habens reliquias in medio delata; theca li-
gnea pro tempore apparsa, ferro firmissime com-
pacta, aliaque, propter quod supra paucis intimavi-
mus, cautissima custodia obseratum esse ⁴⁰²³, do-
nec, perfecto, quod præ manibus erat, opere novo,
communi deliberaretur consilio, ubi condecienti mit-
teretur in loco. Paucis deinde transactis diebus, ca-
perunt multi infirmi confluere, et precibus apostoli
subsecuta est gratia Domini. Benedixit enim Domi-
nus terram suam, avertit captivitatem Jacob; quia
post longos annos sterilitatis inediæ et famis terra
dedit fructum suum, et Dominus præparavit men-
sam populo suo; et depulsa violentia tyrannorum
et prædonum, jucunda tempora pacis et quietis suc-
cesserunt, ut vere dicere exultantes possimus: *Be-
nedictus dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit
redemptionem plebis suæ (Luc. 1, 68)*. Contigit au-
tem hæc inventio anno dominicæ incarnationis mil-
lesimo centesimo vicesimo septimo, indictione quin-
ta, regnante serenissimo et Dei cultore Lothario Sa-
xone, sub pontificatu martyris Christi Meginheri
episcopi, die Kal. Septembris (an. 1127), prima
hora diei, ad laudem et gloriam Christi.

C 4. Sed sicut nullis præcedentibus meritis operum
bonorum, sed gratuita potius Dei miseratione de hu-
jus sanctissimi apostoli insperata inventione magni-
fice lætati proveci et consolati sumus, ita peccatis
nostris merentibus, causisque quas supra memora-
vimus ⁴⁰²⁴ impellentibus, graviter post hæc contri-
stati et periclitati sumus. Anno denique abhinc
quinto, qui est dominicæ incarnationis millesimus
centesimus tricesimus primus, cum jam veteris san-
cti Eucharîi structura monasterii in novum studio-
sissime repararetur statum, quæque ex parte san-
ctuarii perfecta stabiliter cooperta trabibus tegulis-
que fuisset, 18 ⁴⁰²⁵ Kalend. Junii, cum fratres, me-
D ridiana transacta hora, jam novam more solito

VARIÆ LECTIONES.

⁴⁰²³ locus correptus esse videtur. ⁴⁰²⁴ supermemoravimus ed. ⁴⁰²⁵ in numero aut mense fortasse vitium la-
tet; nam d. 18 Kal. Jun. idem esset qui Idus Mai.

NOTÆ.

(601) Lambertus addit: *Narravit mihi quidam se-
nex religiosus cum lacrimis, se in compresbytero suo
sæpius hoc vidisse cum admiratione multorum.*

(602-3) Aliter l. l.: *Hic (presbyter)..... Mathiam
apostolum in tres portiones divisit, tribusque altari-
bus diligenter et secrete reposuit, paucissimis fide-
libus consciis, ne postmodum alicujus violentia civitas
Treverica proprio privaretur patrono.*

(604) Qua de re conferatur quod in altera Gesto-
rum continuatione, postea edenda, legitur.

(605) Narrat quomodo pluribus in somnis S. Ma-
thiæ corpus revelatum sit. Alia habet Lamberti re-

latio, ubi etiam hæc leguntur: *Post hæc in episco-
patu Tungrensi quondam nunc vero Leodiensi loci;
quidam est Sustris nomine, pro eo quod sanctimonia-
les inibi degunt, quas vulgo sorores vocant. Erat i-
eodem loco mater monasterii religioni operam dans
quæ, sicuti moris esse solet, sorte candelarum unum
ex apostolis sibi patronum eligere decrevit. Inscriptis
igitur duodecim candelis nomina duodecim apostolo-
rum altarique superponens, etc.*

(606) Quomodo hoc factum sit, fabulose exponit
Lambertus.

inchoassent, subito et insperate in ædificio sacrarii, quod versus aquilonem eidem monasterio adhærebat, maximus ignis accensus, minaces in altum flammam extulit, et correpto citius tecto sanctuarii, exitialem omnibus minabatur interitum. Mox dicto citius universa civitas commota simulque in unum conglobata, ad sedandum occurrunt ignem; cui se undique ascenso ipso ædificio opponentes, incendium divina, ut postmodum rei exitus docuit, voluntate sæviens frustra conabantur extinguere. Igne autem super capita illorum cadente — nec enim ardentia poterant scandere tecta — ingressuque, per quod intraverant, jam prope obstructo, cum evasione nullus pateret egressus et ex imminente periculo undique coartarentur: licet inviti, sævientibus cessere flammis, et aliqui per fenestras super inferiora proxima delapsi tecta, aliqui vero per funes se summittendo vix incolumes evaserunt. Rursus certatim concurrentes tecta dormitorii et claustrum citissime destruunt, ne ignis de monasterio decidens, locum omnino inhabitabilem redderet. Quod utique factum esset, nisi clemens miseratio Dei affuisset. Nam ex oborto incendio monasterii longissime in extremitate villæ domus incensa est, quanto magis proxima ædificio tecta, nisi Dei protectio affuisset, pene consumpta fuissent. Unde merito proclamare possumus: *Nisi Dominus adjuvisset, forsitan obortus ignis vivos nos absorbuisset.* Quantum inibi lacrimarum fusum sit, quanti fletus, quanta suspiria, quis digne valeat enarrare, cum amantissimum certe locum in toto regno, per gratiam Dei ex inventione et ex miraculis beati Mathiæ nominatissimum, putarent ab exitalibus flammis exterminandum. Sed quid Dominus misericordiæ et consolationis ostendere dignatus sit, justissime videtur insinuandum.

5. Primum ante omnia incumbere nobis sollicitudo de reliquiis sanctorum, et maxime de pignori- bus sancti Mathiæ apostoli, quibus Dominus locum illustrare dignatus est, ne malevolæ mentis homines aliqua machinando consiliarent, ex quibus locus esset ludibrio deinceps et despectui subdendus. Quod ita etiam per omnia evenisset, nisi, ut paullo ante dixeram, miseratio Dei affuisset. Cum etenim ignis, ut prædiximus, contigua circumquaque lambendo consumeret, et ædiculæ, qua majus altare cum sarcophago sancti continebatur, ignis jam immineret, quidam malignæ mentis in unum congregati, communi tractabant consilio, qualiter idem sarcophago foras extractum arte qua possent laborarent ut inde subtractum urbi inferrent; dicentes, manifestis indiciis declarasse, non esse ipsius voluntatis amplius ibi commorari, cujus protectionis omnimodis monachi indigni fuissent (607). Circumdatum ergo sarcophagum longissimo fune ad exteriorem portam usque tendente, omni conamine de incendio eruere

conabantur; sed qua intentione id facerent, evidens rei declaravit eventus. Nam centum et eo plures nunc brachiis, nunc fustibus impingentes, de loco vix movere potuerunt, donec venientes sanioris consilii et majoris auctoritatis viri, ad nihilato eorum consilio, sic tandem cum ingenti labore foras extractum ante ipsius fores oraculi posuerunt. Quod tamen postmodum finito incendio in locum pristinum referentes, levissimi inventum est oneris, ut, quod paullo ante a centum viris non potuit moveri, nunc a duodecim facillime referretur.

6. Ex qua autem causa ortum sit vel cur permiserit Deus hoc prævaluisse incendium, scire volentibus pro posse pandamus; nam silentio res supprimenda non est, quia causa incendii major ipso incendio fuit. Erat ibi quidam monachus, ex aliunde adveni- ens (608), ibi jam ex multo tempore susceptus, qui non ibi secundum regulam promissæ obedientiæ, sed absque subjectione morabatur, et tantum falsissimæ utique fidelitatis ubique demonstrabat, ut non solum ei minima quæque committerentur, verum etiam cellarii indigne injungeretur obedientia. Qua tandem, licet invitus, amissa, quia inquietissimæ vitæ fuerat, maligno utique suadente diabolo, rursus custodis arripuit non jussus officium, quo et spontaneo quod præbebat adjutorio ad hanc quoque obedientiam aptus esse judicaretur. Quid plura? Ut suæ voluntatis erat, custodis adjutor deputatus, confestim contra voluntatem fratrum et etiam sæpe contradicentium in monasterio sibi lectulum collocabat, quo aptius perficiendæ suæ dementiæ locum inveniret. Inerat autem ei discedendi desiderium, ob quod omnimodis satagebat, licet furtive, sanctorum reliquias acquirere, cum quibus in alium locum veniens honorabilius susciperetur. Remanserat autem ibi de veteris monasterii structura turris admodum magna, ingredientibus templum pandens introitum, studiosissime quondam a venerabili Bertulfo abbate constructa; in cujus ascensu altare statuerat, quod licet, ex eo quod nuper ab his que supra notavimus (609) violatum et reliquiis insummitate sui fuerat vacuatum, negligenter, tamen, ut postmodum patuit, ex ossibus et cineribus sancti Agricii Antiochensis patriarchæ et Trevirorum archiepiscopi copiosissime fuerat insignitum. Qui licet per tot tempora nullo sciente inibi servaretur, tamen hoc a senioribus memoriæ traditum audivimus, quod prædictus venerabilis abbas interdum clanculo ascensa ipsa turre, orationi ibi per totum vacaret diem, sæpissime etiam pervigilem ante memoratum altare prostratus duxerit noctem. Forte igitur sic operis ratio postulaverat, ut eadem turris destrueretur, quatenus locus novæ daretur structuræ. Cumque ædificia ejus et laquearia jam pene ablata fuissent, prædictus monachus, nescio quo instinctus

NOTÆ.

(607) *Monachos sicut veste ita etiam moribus nigros, indignos esse Mathiæ, Lambertus.*

(608) *Quidam Suerus hypocrita in Lamberti dici-*

tur relatione.

(609) *Hæc in editis non leguntur; ad eadem vero c. 5 respicere videtur.*

spiritu, cum jam cœnandi horam præteriisset, operariis ab opere suo domum discedentibus, arrepto ferramento, prædictum altare confringere aggressus est. Et cum aliquantum in frangendo laborasset, invenit scrinium diligentissime sigillo superposito reconditum; quod sigillum, quia litteras non noverat, cujus esset, scire non poterat, sed primam tantum litteram se cognovisse nobis retulit, quæ est in capite supradicti abbatis Bertulfi, et ideo ipsius fuisse judicatur, qui ædificata ipsa turre altare pariter statuerat. Foras ergo prolatum scrinium, rejecto sigillo, temeraria non verebatur aperire manu; brevemque titulum marmoris inscriptum ipsis ossibus superpositum auferens, quia aperte erat scriptus, utcumque potuit legendo cognovit (610), *Sanctus Agricius archiepiscopus* scriptum esse. Lætus ergo effectus, scrinium descendens secum detulit; et quia illud secure servandi locum non habuit, in cimiterio inter ossa mortuorum in cripta reposuit, donec tandem aptum sibi locum provideret, quo illud sine timore, nullo sibi conscio, servare posset. Quod et triduo ibi absconditum latuit, quoadusque in sacrario, quia, ut diximus, custodis adjutor erat, locum aptum servandarum reliquiarum cautissime provideret. Est autem sacrarii domus inferior lapidibus camerata, superior autem lignis adoperta, ad quam de inferiori per cochleam ascenditur. In hac ergo superiori locum inter trabes et tectum præparavit, ibique sacra ossa de cripta reportata locavit, magnamque struem lignorum veteris ædificii circumposuit, sæpiusque illic eundo, interdum etiam ibi dormiendo, locum frequentare non destitit. Interea iter suum licentia acquisita parat, nunciumque fideli suo cuidam amico direxit, rogans eum obnixè ad se venire, adiciens quod rei quam vellet cum illo tractare nullum omnino alium vellet interesse. Reliquiarum igitur parte de scrinio pannis quos præparaverat imposita, studiosissime satagebat quatenus nil suæ obstaret profectioni, ut omnibus rite præparatis, quacumque die sibi placeret, liber posset discedere. Talia miser, divinam non recognoscens animadversionem, tractaverat; sed Deus omnipotens, qui sanctum Agricium noluit separare a sanctissimo suo apostolo, cujus quondam per tanta terrarum spatia vector exstiterat, impiam ejus dispositionem manifestavit et cassavit. Cum etenim, ut prædiximus, locum eundem aliquandiu jugi sollicitudine frequentasset, die ante prædicta inde descendens more sibi solito, alias nescio quo ire paravit; cum subito ipsa domus, incertum unde exorto incendio, cum reliquiis et monasterio combusta est; licet aliqui ad honorem reliquiarum cum lumen ibi habuisse affirmant, quod ipse ex toto negavit; vel rursus alii dicant, ab igne, quo candelæ ibi para-

abantur, hoc evenisse; quod incredibile videtur, quia ante triduum ignis ex toto ibi defecerat; re autem vera divina voluntate hoc decretum fuerat. Igne autem flammæ in altum jacente, ille miserrimus anxius de reliquiis, festinus accurrens, domum ascendit, pannum cum reliquiis jam incendio proximum apprehendit, quem secum trahere cupiens, omnino non potuit; nec ultra iniquis manibus tractanda cessit, sed potius ibidem comburenda remansit. Qui cum in trahendo frustra diu laborasset, desperans scrinium aperuit, ut saltem aliquod membrum inde acciperet, quod suæ voluntati incombustum servare posset. At cum introspexisset, subito ignis, quasi fulgor de sacris ossibus jaculatum, ita faciem ejus inflammavit, ut resupinus corruens pene exanimatus esset. Sed nec tunc quidem os aperuit, ut alicui ex accurrentibus cum armis et aqua rem panderet; quod si fecisset, jam illæse incendio reliquiæ creptæ fuissent. Ita Deo disponente, Agricii ossa et pulvis in loco permanserunt, quæ inique furanda de loco requietionis sublata fuerant. Quæ postea minutatim inter carbones diligentissime requisita, magna ex parte inventa sunt, ut majorem ipsius corporis partem nos non dubitemus habere. Pulvis vero cum cineribus cautissime cribro purgatus, ibidem in unum locum servandus repositus est, quibusdam suadentibus ut in honorem ejusdem sancti Agricii altare ibi statueretur, et dedicaretur ecclesia. Per omnia benedictus Deus, qui nos, licet indignos, noluit privare patrono tali, cujus nos auxilio ubique gaudemus perfrui! Postquam autem hæc acta sunt, videns auctor hujus sceleris non posse celari quod Deus voluit manifestari, cuncta quæ gesserat vel cogitaverat protulit in medium; monstravit quoque locum ubi reliquias collocaverat. Quem fratres diligenter perscrutantes, sicut jam diximus, quantum potuerunt, semiusta ossa coadunaverunt, et honorifice in reliquum habenda conservaverunt. Ille autem miser, dictante omnium sententia, cum licentia discessit, quia nempe sibi nec loco huic habitare ulterius commodum nobis visum fuit....

7. Mihi hoc satis mirum videtur, quod in tanto periculo ignis et incendii, in tanto concursu et multitudine utriusque sexus populi nemo prorsus vitæ vel salutis suæ debilitatem incurrit, nullus omnino nostrum rerum suarum aliquid perdidit.

Hæc utcumque dicta sufficiant; nunc aliqua miraculorum beati Mathiæ dicamus, quæ ante inventionem ejus contigisse multi adhuc in corpore manentes religiosi prædicant, a quibus nos hæc contigit audisse.

Hæc miracula in editione desunt.

NOTÆ.

(610) Hæc Lambertus explicare volens ita dicit: *Cum non intelligeret penitus ipsam scripturam, scrutari cœpit si quid uspiam simile reperiret. Quod et fe-*

cit. Nam simile quid in codice Vitæ ejus scripturæ inveniens, crebra inquisitione ad notitiam hujus nominis accessit.

EX MIRACULIS.

1. E codice Erlangensi (611).

1. Interea (612) dum opinio beati Mathie multis signis cresceret, plurimi ex diversis orbis partibus fama virtutum ejus excitati⁴⁰²⁶ veniebant et curabantur ab infirmitatibus suis. Quadam igitur die cum religiosi viri vota ferentes ad ipsum locum properarent, alius cuneus inde digressus illis occurrit. Cumque curiosius, ut assolet, de miraculis apostoli, an vere ita se haberent ut auditu perceperant, inquirerent, quidam maligne mentis, diabolo ut post patuit instigante: *Quidnam, inquit, anilibus fabulis creditis? Nescitis clericos monachosque ad fingendum tallia plurimum callere, questus gratia, suisque prestigiis marsupii nostris et apothecis laqueos ponere? Nimirum ut epulis vacent illi, jejunandum nobis erit; ut illi superhabundent, nos egebimus. Quod nobis bis ydola proponunt, nunc Martini, nunc Nicolai reliquorumque, non saluti nostræ consulentes sed substantie inhiantes faciunt. Quasi vero hæc non sufficiant, novum bis quodammodo de Mathia deusculum faciunt, ut patrium fundum penitus emungant. Redite itaque ad cor et videte, quia deliramenta sunt hæc anilia magis quam vera miracula.* Hæc et alia multa, que brevitatis causa obmisi, eo dicente, uxor ejus ac filii aliique sanioris consilii viri rogabant eum ne sancto apostolo detraheret, dicentes hæc divina opera esse, non humana figmenta. Sed cum infelix ille non solum tacere renueret, sed multo deteriora preferret, subito traditus hosti antiquo, cujus hæc instinctu loquebatur, clamidem suam ac tunicam ad pedes usque scidit, et caballo suo insiliens per montes et valles ac devia queque se cum clamore valido proripuit. Quesitus igitur per biduum nec inventus est; post diem autem terram in palude quadam caballus quidem ejus apparuit, verum ille penitus inveniri non potuit. Cujus exemplo multi correcti et devociore effecti sunt.

Eodem (615) tempore quidam paralyticus de Arduenna silva que maxima est totius Gallie. . . .

Est autem quarto Kal. Julii sollemnis consuetudo Gallorum, ut, in unum diocesi qualibet coadunata, cum reliquiis et letaniis ad urbem Trevericam properent, ut communi leticia beatorum apostolorum Petri et Pauli natalicia celebrent. Ab inventionem tamen sancti Mathie maxime hæc mos inolevit; unde et ipse sepius in cantu vulgari replicatur. Qua specie dum quidam laudes sancti Mathie, quas vulgo leysos vocant, canerent, unus⁴⁰²⁷ eorum levitate

A juvenili actus, cepit jocari temere et pro laude simillima laudi decantare, ut risum sui similibus excitaret. . . .

Sequenti anno cum quidam rusticus Mosellam⁴⁰²⁸ in vigilia sancti Johannis baptistæ naviculam ingressus cum uxore et filio ad limina beati apostoli per flumen Mosellam venire decrevisset, in ipso itinere a quodam tyranno captus, et cathenatus in carcerem mittitur, ceteris fuga elapsis. . . .

In civitate Argentina provincie Alsaciæ quidam clericus. . . .

Alius vir, cum esset pastor ovium, beato Symeoni, qui Treveri in porta Marcia, que et Nigra vocatur, requiescit, ovem de paupere ovili vocavit. . . .

B Duo viri de vico Logostein (614) nominato Renum transituri naviculam piscatoriam ingressi sunt. . . .

. . . . Judeorum quoque auxilia ac vetularum carmina consuluit. . . .

Item puerulus matrem secuturus precantem, de ponte Attilie in aquas subjectas cecidit. . . .

Juxta fornecem Attilie triumphalem (615), qui duo millia passuum a Treverensi civitate distat ad meridiem, quidam adolescens, dum media estate Mosellam transvadere vellet. . . .

C Miles quidam Treverensi territorio genitus non infimi generis sed pauperis erat substantie. Quapropter pudore actus natale solum reliquit, peregrinaturus ubicumque se obtulisset oportunitas. Venit ergo Coloniam Agrippinam, ubi, cum et status et leges urbis placerent, subsistere delegit. Adsevit itaque sibi potentissimos quosque in dominos, ut, cum illis fidelitatem ac servicium fecisset, eorum auxilio et consilio tucior degeret. Cumque multo tempore prospere ageret nullaque agigaretur molestia, causa quadam obviente unus dominorum ejus dissimulato odio domui sue illum ascivit correptumque in vincula conjecit. Novem denique dies in quadam arce jacuit. . . .

Purgensis quidam ejusdem civitatis. . . .

D Puer quidam vidue filius morbo tactus ad extrema perductus est. Cumque dies 15 egrotasset, extinctus est. Compositus igitur feretro, media locatur domo, ubi more Gallorum vigiliis ac ludis solempniter frequentatur. Ludebant alii, sed mater flebat uberissime. . . .

VARIE LECTIONES.

⁴⁰²⁶ excitati corr. excitati c. ⁴⁰²⁷ usus c. ⁴⁰²⁸ mosellā c.

NOTÆ.

(611) Quædam cum his conveniant que apud Lambertum (Acta S. S. l. l.) leguntur. Sed Lambertus hoc fonte usus esse videtur.

(612) Cf. Act. SS. l. l. n. 15. Antea etiam in codice historici legitur, qualis ibid., n. 9 exstat: *Fuit eo tempore quidam molendinarius nomine Lam-*

pertus civis Treverensis, etc.

(615) Cf. Acta SS. l. l., n. 12

(614) Lahnstein.

(615) De monumento in vico Igel exstante sermo esse videtur.

Quinquagenarius homo quidam Pulcri-montis (616) accola, quod est Arduenne silve. quidam ingenuus vir ejusdem castelli municeps.

Suburbano rure quod Treveri adjacet versus aquilonem circa portam Marciam.

Apud Fuldam, que est Francie Teutonicæ, mulier quedam pontem fluminis transitura.

Erat quidam maligne mentis, sicut divitiis sic habundans etiam viciis; qui cedibus et rapinis in vicinos suos grassatus, violenter omnia depopulabatur. Quidam autem illorum quos injuste afflixerat, domum illius igni succendit et aufugit. At ille sicut erat mentis perverse, in quendam pauperem crimen iniecit et pro tribunali judici illum detulit. Quod cum per advocatum suum pauper se fecisse negaret, ad hoc tandem causa devenit, ut duello determina-

retur. Hoc tyrannus, sicut erat sanguinis avidissimus, leto suscepit animo; pauper autem se suaque dominio illius submittere volebat ut quiesceret. Sed ille rennuit. Die igitur dicta venerunt ambo locumque duelli intrantes congressi sunt, pari certamine viribus impares. Attrivit ⁴⁰²⁹ enim tyrannus pauperem pene usque ad dedicionem, donec compulsus a suis nomen sancti Mathie invocaret pauper, divitem uno ictu deiceret, et occideret. Et salvatus est sanguis innoxius meritis beati Mathiæ.

Juxta pontem Moselle quidam puerulus navicula excidens submersus est. Quod videns quidam juvenis vestibus abjectis aquæ insiluit, et inventum extrahere volens, maligno spiritu retrahente, quem Neptunum vocant, semel et secundo perdidit.

2. Ex codice Treverensi.

1. Anno vero incarnati 1226, primo anno domini Gregorii pape noni, regnante glorioso imperatore Friderico, favente Deo, qui omnia que vult facit in celo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, qui producit nubes ab extremis terre (*Psal. cxxxiv, 7*), predicatorum videlicet sancte Crucis, qui ubique terrarum discurrentes et crucis gloriam predicantes ex omnibus gentibus et populis et tribubus et linguis signaverunt servos Dei et milites Christi in frontibus eorum. Sensus enim et cogitatio humani cordis, que ad malum prona est omni tempore, ab adolescentia sua promptissima reddita est in gloriam Christi et ad reverentiam sancte Crucis, dum in remissionem omnium peccatorum populorum multitudines signarentur et in milicia celi boni milites Christi conscriberentur. Unde et gloriosus imperator Fridericus signum salutis suscipiens, non nisi in cruce domini nostri Ihesu Christi gloriari voluit; pro cujus fide et devocione universi cruce signati gavisissimi sunt gaudio magno valde. Cor pravum hominis et inscrutabile de abyssis dedit vocem suam, et altitudo terrene dignitatis manus suas ad celum levavit. Ex istorum igitur numero predicatorum predicator unus Cunradus nomine natione Hallensis — que civitas imperatoris est in Suevia — venit ad abbatem Cystercii ordinis in Walrebach (617) — que abbacia sita est in episcopatu Radesbonensi in confinio regni Boemie; — qui vices suas et auctenticum domini pape predicto magistro Cunrado in predicanda cruce commisit et litteris suis et sigillo confirmavit. Veniente autem jam dicto Cunrado in civitatem que Cubitus (618) dicitur Pragensis episcopatus spectantem ad cameram regis Boemie ⁴⁰³⁰ et crucem predicante, tot milia militum et multitudines populorum signum crucis acceperunt, ut idem rex Boemie, cum proponeret bellum inire cum duce

Austrie, nec posset ei resistere, quia magna pars militum suorum a predicto Cunrado signata erat, nec vires suas bellis inanibus regis expendere vellet; furore nimio commotus et spiritu maligno exagitatus, totam iram suam in ipsum Cunradum effundere voluit, utpote qui causa fuerit tante discessionis sui exercitus, et imminuta milicia regis minuisset honorem. Igitur accensis animis, notarium suum ascivit munera ingenia promisit, et cum in necem Cunradi armavit. Quia ergo pecunie obediunt omnia et munera excecant etiam oculos sapientum (*Deut. xvi, 19*), excecatus promissis, obtulit se in decollationem innocentis. Multitudine ergo instar corone circumstante, stabat ille regis notarius evaginato gladio, et predicator crucis propter verbum crucis in modum crucis totus jacebat porrectus in terra. O spectaculum nefarium! o iniquitas que egreditur a facie terre! Fons turbatus pede, justus cadens ante faciem peccatoris. Stat impius, jacet justus; et ut caput justum amputet, ferus gladiator adest. Prostratus itaque et morti proximus, orat et precatur, ut tantillum ei daretur spacium, quo confessionem facere et corpus Domini sumere posset. Dum ille preces funderet, et timore regis — sermo enim regis urgebat — nemo illi subvenire presumeret: ecce filia ipsius regis, irrupta undique circumstantium multitudine, nudato capite advenit, dolens et flens super impietate patris. Prostratum levavit, et in capellam, que proxima erat, secum adduxit, et confessores ei pie providit. Respirans aliquantulum Cunradus, ante confessionem rogavit sacerdotes quatenus nomina duodecim apostolorum scriberent, et singulis cereis singula nomina adponerent, ut cujus nomen volente Deo assumeret, ipsum patronum et advocatum in tam horrendo mortis discrimine et in futuro examine propitium haberet. Fa-

VARIE LECTIONES.

* - Atrivi. c. ⁴⁰³⁰ boecie c

NOTÆ.

(616) Beaumont.
(617) Walderbach.

(618) Elbogen.

ta confessione surrexit, accessit, tulit et legit, et nomen Mathie apostoli gloriosi scriptum invenit. Stans autem attonitus, et utraque manu tenens breviculam, in qua ⁴⁰³¹ nomen sanctum sancti apostoli scriptum erat, toto corde et animo se totum devovens apostolo, rogat et deposcit sibi auxiliari et adiutorem celerem in tanta tribulatione fieri. Adest subito benignissimi benignitas apostoli, et facta est repente mutacio dextere Excelsi. Ira enim regis, que fuerat nuncius mortis, apostolo sancto interveniente et protegente conversa est in clemenciam, furor in misericordiam, tempestas magna in tranquillitatem maximam. Confestim ergo immutatum est cor regis, et cum sui penituit sceleris. Festinus itaque et cum ingenti tumultu militum se circumstipancium accurrit, ut idem Cuonradus terrore nimio tumultuantis turbe tarbatus iterum se ad mortem pertrahi metueret. Veniens autem rex, ad pedes magistri Cuonradi cecidit, et toto corpore in modum crucis in terram prostratus, indulgenciam sibi dari humillime et devotissime expeçit. Cuonradus vero admirans gratiam Dei et auxilium celeberrimum beati Mathie apostoli, factus est quasi in exthasi in eo quod contigerat sibi. Regem prostratum de terra levat, et indulgens sibi vitam, reatum criminis letus relaxat. Venit et ille gladiator, notarius scilicet regis, pallens et tremens, et facti sui penitens, veniam peçit et accepit. Cuonradus continuo a rege assumitur, presente rege et omni multitudine in alto statuitur, et ut verbum Dei predicaret a rege jubetur. Erant illo die nudine et forum rerum venalium, quo e diversis locis mercandi gratia convenire soleat populorum examina. Ipsa die Deo favente et rege gaudente maxima principum et militum et diverse etatis et sexus hominum signata est multitudo, et facta est leticia magna in populo Iste idem Cuonradus predicator Treverim venit, et in ecclesia sancti Eucharrii fuit, et in cimiterio ejusdem ecclesie predicavit coram tumba beati apostoli; Deo et beato apostolo liberatori suo immensas gratias reddidit, et hec omnia que in eo facta sunt enarrans, ad gloriam Dei et beati apostoli ea litteris mandari rogavit. Acta sunt hec in civitate que Cubitus appellatur sita in episcopatu Pragensi ad honorem gloriosi apostoli et gloriam domini nostri Jhesu Christi.

2. In episcopatu Spirensi est civitas quedam domini regis, que vocatur Gruoninge (619), spectans ad imperium; in qua civitatis habitores ⁴⁰³² in fraternitate beati Mathie apostoli ex antiquo fratres conscripti et associati sunt Universi ergo elegerunt magistrum fraternitatis scultetum ipsius civitatis, Codefridum nomine, virum strennum et **industrium**, qui quidem ad opera et negocia regis

A aptus et strenuus erat et ad collectas faciendas et oblaciones colligendas diligens et sollicitus, sed ad dirigendas et transmittendas oblaciones beato apostolo negligens et remissus

5. Comes palatinus Henricus nomine a duobus suis clericis spiritu maligno repletis circumventus, ad hoc inductus est ut villam quandam Vilmar dictam super Logenam flavium sitam, quam pie memorie Henricus imperator cum omnibus appendiciis suis pro remedio anime sue beato Mathie apostolo et sancto Eucharrio sollempniter donaverat (620), in proprietatem sui juris conaretur adtrahere. Idem enim duo clerici, ut favorem ipsius comitis magis magisque sibi conciliarent, promittebant ei privilegia et sigilla tali arte facturos, quibus intuentium oculi deluderentur et quasi ante multorum annorum curricula facta vetusta et antiquissima viderentur. His dolis et versuciis clericorum animus comitis abstractus et illectus, quia vir nobilis et potens erat nec ei ecclesia resistere poterat, predictam villam suam esse dicebat. Fama hec ad aures ecclesie pervenit et tamquam sonitu magni tonitruum omnes illius ecclesie fratres nimio terrore perculit. Abbas conventum ingressus et universos intuens animo valde consternatos, consolatus est eos in Domino dicens: *Quia prepositorum dominus potens est et comitem adtrectare et vobis propria restituere. Fidelis est, inquit, Deus, qui non patietur vos temptari supra id quod potestis, sed faciet cum temptatione proventum ut possitis sustinere.* Hec dicens comitem adiit, et accidit ut apprehenderet eum in equo sedentem et cum magno comitatu iter agentem. Abbas comiti appropinquans, causam et necessitatem ecclesie aperuit, pro ecclesia preces supplicationesque obtulit, orans et obsecrans quantum intuitu Dei et beati Mathie apostoli et sancti Eucharrii, quorum reliquiis et miraculis eadem ⁴⁰³³ ecclesia insignis haberetur, res ecclesie ⁴⁰³⁴ usurpare non presumeret, quia iram Dei et sanctorum ejus, qui illius loci sunt domini et protectores fidelissimi, effugere nullatenus posset. Comes itaque fastu temporalis glorie elatus, preces abbatis sprexit et abnuit, secundum illud: *Simplicitas justii quasi lampas contempta ante fatiem peccatoris parata est tempus statutum (Job xii, 4).* Et abbas quidem pro ecclesia legatione fungebatur et contempnebatur; oratio autem ⁴⁰³⁵ fiebat pro eo sine intermissione ab ecclesia ad Deum. Et Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, de excelso sancto suo respexit in orationem humilium, et non sprexit preces ⁴⁰³⁶ eorum. Nam cum ad primas preces comes abbatem sperneret, manum Dei super se paululum adgravatam comes sensit; equus ⁴⁰³⁷ enim ejus totus contremuit et casum minatus aliquantulum timoris

VARIÆ LECTIONES.

⁴⁰³¹ quo c. ? ⁴⁰³² habitores cod. ⁴⁰³³ bis scriptum c. ⁴⁰³⁴ bis scriptum c. ⁴⁰³⁵ aũ::: c. ⁴⁰³⁶ deest c. ubi spete in litura. ⁴⁰³⁷ equus c.

NOTÆ.

(619) Grüningen.

(620) V. supra Gesta. c. 52.

comiti incussit; sed ipsam lenem castigationem, quia a Deo fieret, nemo eorum qui aderant advertere potuit. Comite itaque progrediente, iterum abbas comiti adjungitur, et preces precibus addens, ut ante contempnitur. Et equus ⁴⁰³⁷ comitis secunda vice majori terrore concussus ad genua corruit et sessorem suum gravi timore conterruit. Tunc amici comitis. tes ⁴⁰³⁸ et timentes ne forte hec visitatio Dei et sanctorum ejus esset indignatio, ceperunt unanimiter comitem exorare, ut ab iniusticia sua dignaretur desistere, quia ire Dei et sanctorum ejus non posset resistere. Comes ergo corde obdurato preces omnium et consilia sprexit, et idcirco acrius castigari meruit, correctionem habens sue vesanie, quia tantummodo sola vexatio intellectum dare solet auditui. Tertia vice cum idem abbas, quem sollicitudo major stimulabat et sollicitabat, comitem interpellaret et multam patiens repulsam ⁴⁰³⁹ nichil proficeret: ecce repente in conspectu omnium manifeste dignam pro meritis iram Dei et sanctorum ejus comes expertus est, et sicut locusta violenter ex equo excussus, cum equo cecidit, et gravi allisione corporis adtritrus, premortuus et ex sensu factus quasi amens in terra porrectus jacuit. Tandem a terra levatus et alias delatus, cum ad se redisset, intelligens plagas quas circa eum Deus et sancti ejus ecce jam tercio fecerant, timens ne pejora prioribus pateretur, amicorum quoque et nobilium blanda ammonitione ammonitus, protestatus est publice coram abbate et aliis quam plurimis ⁴⁰⁴⁰, injuste res ecclesie usurpare sibi voluisse et nichil juris in rebus ecclesie se habere confessus, ad iniquitatem prosequendam periculose inductum fuisse. Hec mutatio dextere Excelsi, qui dominatur potestati ⁴⁰⁴¹ maris, motum autem fluctuum ejus (*Ps.* lxxxviii, 10) pro voluntate sua et qualitate homi-

num aut mitigat aut exasperat. Itaque comes castigatus et humiliatus, versa vice abbatem petit et obsecrat ut errori suo elementer indulgeat, libertatem ville quam injuste rapere adtemptaverat libere et absolute cum omnibus appendiciis ⁴⁰⁴² suis possideat, et cum fratribus ecclesie ut pro eo orent humiliter exorat. Grates quoque et gratias plurimas Deo et sanctis ejus egit, quod sic pie castigari meruit, nec cum sanctorum pietas morti presenti tradiderit. Preterea duo illi nec nominandi clerici fabricatores mendatii, qui adversus innocentem ecclesiam dolos tam nefandos continuaverant et comitem ad hanc iniquitatem adduxerant ⁴⁰⁴³, tesaurizantes iram, in die ire iram Dei et sanctorum horrende experti sunt, et ambo simul subitanea morte mortui sunt

4. Dominus castri de Merenberch, Hardradus nomine, quodam tempore ab adversariis suis impugnabatur, et adversarii ejus circumquaque discurrentes cuncta que sui juris erant prout poterant rapiis et incendiis devastabant. Venerunt ergo ad quandam villam que Duorlar dicitur non longe a predicto castro positam, et ad eundem Hardradum dominum castri pertinentem, eadem facturi que in aliis locis faciebant. Erat autem in eadem villa curtis quedam et horreum frumento plenum, collectum et aggregatum de quadam arabili terra, quam senior Hardradus, avus videlicet istius junioris Hardradi, beato Mathie apostolo in elemosinam pro remedio anime sue legaverat, quam in eadem villa colonus quidam Ludowicus nomine strenue excolebat et censum annuum de eadem elemosina ecclesie beati Mathie solvebat. Igitur hostes et adversarii eandem villam ingressi, ceperunt predas agere, ignem inicere et villam exurere.

VARIÆ LECTIONES.

⁴⁰³⁸ :::: gntes c. ⁴⁰³⁹ multa p. repusam c. ⁴⁰⁴⁰ pluris :::: c. ⁴⁰⁴¹ potestatis c. ⁴⁰⁴² appenciis c. ⁴⁰⁴³ aduxerant c.

GESTA ALBERONIS ARCHIEPISCOPI.

Cum archiepiscoporum Treverensium historia Gestorum continuatione usque ad Meginheri obitum descripta esset, Alberonis viri illustris, fortis atque ingeniosi tempora secuta sunt, quæ ecclesiam penuria depressam nova gloria extulerunt, et Treverensibus magnas in rebus publicis imperii Germanici gerendis partes contulerunt. Ideo mirum esse nequit, quod plures in ejus laude canenda et scribenda versati sunt, alter episcopo nisi sallor vivo, alter sub Hillino Alberonis successore (621). Primus carmine hexametro archiepiscopi Vitam usque ad A. C. 1145 descripsit, mox strictius, mox uberius de rebus publicis et ecclesiasticis locutus, sed ubique eorum quæ narranda duxit bene gnarus, quippe qui in urbe Treverensi vixisse et plerumque suis oculis auribusve percipisse videatur. Etiam chartas quasdam adhibuit (622) totamque narrationem Gestis antiquis quasi breve supplementum addidit (625).

Altius Baldericus rem aggressus est, cum aliquot post Alberonis mortem annis hujus Vitam narrandam susciperet. Ipse tunc magister erat scholarum, ab ipso Alberone a. 1147 in hoc munus evocatus. Natus enim in diocesi Leodiensi, villa Florinensi, ad papæ Eugenii curiam se applicuerat. Quem cum, papa in Galliam profecto, in urbe Parisiensi « causas dicentem et sæpe apposite perorantem », ut ipse narret, Albero audivisset, secum Treverim adduxit, et scholæ ecclesiæ S. Petri præfecit (624). Inde ab hoc tempore archiepiscopo familiaris fuit eumque in itineribus nonnunquam comitatus est (625), ita ut res ab illo postea gestas bene perspectas haberet, et tam veritatis studio quam Alberonis amore ut eas posterorum memoriæ commendaret induci posset. Vixit pluribus annis post sub Hillino archiepiscopo, et, vel ipsius vel aliorum chartis,

NOTÆ.

(621) V. Bald. c. 11

(622) v. 126, 156, 158.

(625) Quæ enim supra dicta esse monet v. 19, 82,

in Gestis continuatis, non in ipso carmine leguntur.

(624) c. 22.

(625) c. 26.